1903 N16 Lane Medical Library

DE

MORBIS AUDITUS NONNULLIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI TRIBUANTUR

DIE IX. M. DECEMBRIS A. MDCCCLI.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JUDA ITZIG

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

E. GUTTMANN, med. et chir. Dr.
F. W. BROESICKE, med. et chir. Cand.
G. ASHER, jur. Stud.
A. BLASCHKO, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

VIRO

AMPLISSIMO ERUDITISSIMO HUMANISSIMO

A. ASHER

BIBLIOPOLAE

NEC NON

GUILELMO FRIEDEBERG

SERENISSIMI PRINCIPIS BORUSSIAE GEMMARIO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

I.

DE OTORRHOEA.

Significatur hoc nomine chronicum auris profluvium, cum organi auditorii functionibus vario gradu turbatis consociatum. Anomalae secretionis fons vel in ipso organo auditorio (Otorrhoea idiopathica), vel extra ejus terminos, i. e. in partibus finitimis (O. symptomatica) exstat. Priori in casu malum aut affectione partium meatum auditorium externum constituentium (O. externa) exoritur, aut originem debet morbo earum partium, quae aurem internam fingunt (O. interna). Altero autem in casu secretionis fons sedem habet in vicinis partibus, plerumque in glandulis finitimis; aut in cerebro ejusque tunicis; materia morbifica extra organon auditus formatur, in hoc penetrat et per meatum auditorium foras ejicitur. Inter symptomaticas otorrhoeas gravissimae sunt cerebrales, quos Itard in primitivas et consecutivas dividit. Otorrhoea cerebralis primitiva profluvii morbosi fontem in cerebro habet, materia pathica vel per naturales vel artificiales ossis petrosi aperturas in aurem internam penetrat posteaque per meatum auditorium, aut, quod auctore Itard rarissime fit, per tubam Eustachii viam sibi patefacit. Auris interior defluente

Aegrotis valde irritabilibus, qui jam exigua calomelanos dosi ad ptyalismum propensi redduntur, jodum saluberrimum esse, idem auctor observavit:

R. Tinctur. Jod. (Jodi gr. xx ad ℥j spir. v. rectiv.) ʒj
Mucilag. Gmmi arab. ℥jj
Aquae destill. ℥vj.
MDS. Quaternis horis duo cochlearia majora sumantur.

In casibus a se curatis minime effectus damniferos animadvertit, quos jodi usum sequi, alii scriptores referunt; gummi arabicum id maxime efficere dicitur, ut tubi intestinalis irritatio caveatur.

Si exploratione compertum habeamus, otorrhoeam a membranae rarefactione fungosa, vesiculari proficisci, Buchanan habenulam linteam caute in meatum auditorium immitti suadet, ut apertura amplietur, levis pressio in glandulas exseratur tumorque resolvatur. Habenula lintea unguento cetacei illinatur, ne parietibus meatus auditorii adhaerescat. Nonnunquam Buchanan tubulum elasticum, e. gr. catheteris elastici partem, in meatu auditorio posuit, ut sonorum undis liberum ad membranam tympani aditum pararet. Kramer spongia utitur compressa, cujus habenulas laeves, angustas, meatus auditorii coarctationi respondentes immittit et viginti quatuor horas relinquit. Spongiae turgescentis pressione rarefactiones subsidunt et muci secretio perspicue diminuitur. Si morbus recens est et membranae degenerationes deficiunt, aquae tepidae injectiones ad

sanationem plerumque deficiunt. Olea pinguia a nonnullis commendata auctore Itard ad injiciendum idonea non sunt, quia mox rancescunt, facile inspissantur et meatum auditorium obstruunt; ceterum laxitatem et secretionem adaugent. Morbo inveterato, Kramer instillationes plumbi acetici (gr. 1—10 ad aqu. ℥j) commendat easque ter — quater per diem, aqua simplici antea in meatum auditorium injecta mucoque collecto ablato, repleti jubet.

Buchanan aegrotantibus, qui tempestati humido-frigidae se committere coguntur, injectiones tepidas obesse putat et hanc solutionem frigidiuscule adhibendam suadet:

R. Argent. nitr. gr. j
Aquae destill. ℥x.
D. S. ad injiciendum.
vel:
R. Zinc. sulphur. gr. jv.
Aqu. rosar. ℥vj
D. S. Ad injiciendum.

Acidum quoque pyrolignosum Buchanan multo cum successu administravit et hanc formulam plerumque praescripsit:

R. Acidi pyrolign. ℥jj
Aquae destill. ℥vj
M. D. S. Ad injiciendum.

Symptomata acidi pyrolignosi injectionem sequentia sunt: vertigo, cui jam post aliquot minutas grati caloris sensus citusque facultatis audiendi reditus succedere dicitur.

Si auditus organon injectionibus nimis irritetur, acido pyrolignoso grana aliquot plumbi acetici addere et hanc formulam adhibere licet:

R. Plumb. acet. gr. x
Acid. pyrol. gutt. xx
Aqu. destillat. ℥vj
M. D. S. — Ad injiciendum. —

Alii auctores varia unguenta maxime laudant, Kramer autem omnia unguenta nostro in morbo damnifera esse censet, quia membrana glandulosa adipem non ferat.

Itard kalii sulphurati solutiones in aurem injici suadet et si his nihil proficiatur, argentum nitricum (gr. i. p. d.) gossypio involutum in meatum auditorium altius adigi. Si otorrhoea injectionibus acrioribus aut perfrigerio repente supprimitur et symptomata periculosa emergunt, profluvium applicatione hirudinum et cataplasmatum calidorum quam celerrime restituatur. Inter remedia hunc in finem adhibenda Itard optimam existimat impositionem panis recentis calidi, e fornace modo exemti, cui crusta ademta sit. Ternis horis applicatio hujus remedii repetatur et quavis sub deligatione mercurii sublimati solutio injiciatur. Otorrhoea meatus auditorii carie inducta plerumque morbo constitutionali, praecipue scrophulosi, fortasse etiam syphilide, aut arthritide efficitur. Non raro irregularem exanthematum, ut scarlatinae vel morbillorum, decursum sequitur. Cursus semper chronicus est et sanatio modo contingit, si dyscrasia profluvium efficiens aufferri pot-

est. In casibus infaustioribus nonnunquam meatus auditorii atresia ulceris cariosi sanationem excipit. Semper in curanda otorrhoea malum universale, quod ei subest, respiciatur, quod si auferri potest, pars ossis cariosa extruditur et profluvium mox desinit. Teste Krukenberg aliquoties usus internus acidi phosphorici cum asa foetida saluberrimus fuit.

Quod ad topicam curationem attinet, profluvii aut secretionis suppressio caute vitetur, priusquam causae, quae subsunt, depelli potuerint. Tincturas acres ad accelerandum exfoliationis processum adhiberi Kramer vetat, in eo acquiescendum esse dicens, ut meatus auditorii mundities curetur et ossis assulae labefactae removeantur. Itard injectiones proponit alkalinas (kali carbon. crud. ℥j ad aqu. ℔j), quotidie novies-decies repetendas; praeterea drastica, per intervalla exhibita prodesse censet; eundem ad finem vesicatoria et setacea in usum vocari suadet.

OTORRHOEA INTERNA.

Haec otorrhaea, quae fistulosam membranae tympani affectionem supponit, quacum tubae Eustachii atresia vel conjungitur, vel non conjungitur, vel inflammatorium morbum tunicae mucosae, vel telae cellularis, vel periostei cavitatis tympani sequitur.

Symptomata otorrhoeae inflammatione tunicae mucosae cavitatis tympani inductae modo admodum perspicua, modo plane obscura sunt et profluvium auris cum dysoecia solae sunt affectiones, de quibus aeger

conqueritur. Internae otorrhoeae diagnosis ab externa plerumque facilis est; ab illa enim meatus auditorii affectio utplurimum abesse solet, aut, si secundaria accessit, neque cum humoris effusi copia, neque cum functionali organi perturbatione justam proportionem alit.

Secretum, quod effluit, modo serosum modo purulentum apparet, neque minus quantitate variat, id quod auctore Alard multis in casibus a temperie et atmosphaerae humiditate pendet. Quodsi membranae aegrotantis secretio subito subsistit, mox aliud organon sympathica affectione tentatur, inprimis oculi vel cutis tunc aegrotant. Itard aliquando apud virum, qui syphilidis suspicionem minime obtulit, testiculi tumorem vidit oriri. Periculosissima otorrhoeae suppressae sequela in consecutivo cerebri morbo cernitur: aeger dolorem in aure penitiore sentit, cui omnia symptomata encephalitidis fere semper lethiferae succedunt. In universum otorrhoea interna catarrhalis tantum periculi non minatur, plerumque autem diu protrahi et cum surditate magis minusve complicari solet. Pertinacissimis in casibus nonnunquam cavitas coarctatur, quia partes molles paulatim rarescunt et canalem plane obstruunt, quo fit, ut permanens surditas oriatur.

Quaecunque causae generatim catarrhales affectiones proferunt, etiam hanc otorrhoeam efficere possunt; eadem per metastasin, suppressis nempe ophthalmiis aut chronicis blennorrhoeis existere consuevit.

In curanda hac otorrhoea prae omnibus causae efficientes, sive universales sint sive topicae, impugnen-

tur. Corpora aliena extrahantur, dyscrasiae suis remediis debellentur, irritamenta consensualia removeantur. Scrophulosis hominibus antimonialia, guajacum, balnea saponata tepida prosunt; Buchanam etiam jodum laudat, quamdiu a digestionis organis feratur. Suppressis mensibus aut hemorrhoidibus, hirudines ad perinaeum vel anum applicentur, praeterea vero ea interna medicamenta praebeantur, quae profluvium sanguinis suppressum restituere valeant. Augeatur etiam actio tunicarum mucosarum, cutis, renum, aut nova organa secretoria vesicantibus, setaceis etc. excitentur, iis praecipue in casibus, quibus natura per morbi diuturnitatem secretioni morbosae adsuevit. Adultorum alvus remediis aloëticis optime solvitur. Saunders injectiones solutionis zinci sulphur. commendat; ubi fungi adsint, hos pressione destrui et aluminis solutionem injici jubet; solutio quoque argenti nitrici partim ad injiciendum partim ad adurendum laudatur, si otorrhoea cum fungosis excrescentiis complicata est. Double decocti baccarum junip. concentrati injectionem multum praestitisse affirmat. Curtis otorrhoeam eo sanavit, quod frequentes fecit injectiones, vesicatoria pone aures per complures menses applicuit, suppurationem sustinuit et interne alterantia praebuit; postremo injectiones irritantes administravit. Adstringentium injectionum applicatio magnam exigit providentiam, nec prius tentanda est, quam causa efficiens sublata et vicariae secretiones evocatae sint.

Si secretum foras effluere nequit, quia meatus au-

ditorius, secundarie affectus, rarescit et coarctatur, ergo humorem ex interioribus provenientem retinet, statim injectiones emollientes aut irritantes faciendae sunt, ne secreti stagnatione dolor et inflammatio oriantur. Quodsi inflammatio membranae nimis intensas secretionis suppressae causam exhibuit, statim applicatis hirudinibus et calidis cataplasmatibus otorrhoea instauretur. Otorrhoea telae cellulosae aut periostei cavitatis tympani inflammationem secuta sedem plerumque habet in cellulis processus mastoidei. Aeger initio dolorem accusat obtusum, tactu regionis nominatae augescentem, serius ulceratio per totam aurem internam diffunditur factaque sectione haud raro totum os petrosum velut vermibus erosum deprehenditur.

Characteristicum hujus otorrhoeae signum Itard existimat cruentum puris colorem, nigredinem, quam instrumenta inter ligandum induunt, inprimis autem particulas osseas editas, quae plerumque ossicula auditoria sunt. Interdum haec ossicula, pure spisso contenta, membranae tympani aperturam intrant, ibidem haerent et profluvium inhibentia augmentum efficiunt symptomatum, quae magis minusve remittunt, quamprimum ossicula profluvium impedientia exeunt. Pure in cellulis mastoideis collecto, tumor ibi exoritur, cutis rubrofusca, oedematosa, paulatim tenuior fit tandemque perrumpitur. Pus, recluso processu mammillari, non semper partes obtegentes molles recta perforat, sed nonnunquam subter musculos descendit et circa collum viam sibi aperit,

ita ut apertura externa longe ab apertura processus mastoidei distet.

Si destructio altius penetravit, mox duram matrem ossi petroso vicinam adgreditur; inflammatio et suppuratio ad alias membranas, tandem ad cerebrum propagantur et aeger serius ocius, interdum convulsionibus repente irruentibus, perit. Exitus lethalis rapidus praecipue metuendus est, si tumor circa processum mastoideum incaute aperitur. Morgagni hoc exemplum enarrat: infans post variolas dolore et profluvio auris dextrae cum surditate laboravit; anno vitae 12 pone aurem aegrotantem tumor emersit, qui patefactus multum puris edidit. Paulo post operationem infans convulsiones graves passus est multosque emisit clamores. Cutis, ubi incisa erat, maxime dolorifica evasit nec minimum quidem tactum sustinuit. Pus continuo profluxit, convulsiones perstiterunt, deliria accesserunt, pulsus subsedit, mors irruit. Dura mater et arachnoidea cerebelli lateris dextri corrosae, in cavo cranii pus collectum, quod per aperturam lentiformem ossis petrosi emanaverat, inveniebantur. Similem casum Holst (Froriep's Notizen. Bd. II. S. 138) observavit. Infans, qui diutius otorrhoea purulenta laboraverat, inter soporis symptomata periit; cavi tympani fundus destructus in foramen jugulare patuit.

Causae praedisponentes usitatissimae hujus otorrhoeae, cujus incertus est decursus, sunt: scrophulosis, syphilis, arthritis. Ad causas occasionales pertinent: perfrigerium et metastatica transpositio actionis inflammatoriae

cutis, e. gr. in variolis, scarlatina etc. ad aurem internam. Beaupré casum observavit, in quo gonorrhoea perperam curata otitis interna indeque suppuratio exorta erat. Pus, cavum tympani et cellulas mastoideas implens, tandem processum mammillarem et cavum tympani perforavit et per hanc aperturam foras profluxit.

Prognosis partim a causis, quae subsunt, partim ab affectionis cariosae sede et ambitu pendet. Quodsi e morbo cavitatis tympani otorrhoea prodit, ne prosperrimus quidem exitus omnem auditus labem cavet. Affecto labyrintho, auditus plane deletur et si caries partem petrosam ossis temporum tentavit, mors inevitabilis esse solet.

Curatio inprimis morbi causas respiciat necesse est, quae utplurimum constitutionales sunt. Sublata inflammatione, quae suppurationem induxit, cavum tympani cautis aquae tepidae injectionibus purgetur, per intervalla levis plumbi solutio instilletur et setaceo ad cervicem applicato derivatio a parte affecta instituatur. Carie ossis petrosi jam exorta, parum sperare licet, raro enim tam superficialis est, ut paulatim extrudatur. Krukenberg his in casibus asam foetidam cum acido phosphorico, externe solutionem mercurii sublimati et argenti nitrici cum opio adhiberi suadet. Itard syrupum trifolii aquatici laudat, cujus unciae duae mane et vespere cum decocto sarsaparillae praebeantur. Praeterea alkalinas injectiones administrat, si anodynis remediis irritationem sedavit. Quodsi suppuratio in cranium alte descendit, maxima cum diligentia profluvium

sustineatur et si haesitet, remedia efficacissima, quibus restituatur, in usum vocentur. Singularem attentionem abscessus aurium merentur, qui non in organo auditorio ordiuntur, sed ab aliis partibus, e. gr. a glandulis suppurantibus auri finitimis, proficiscuntur et in externam vel internam aurem patescunt, ita ut organon auditus cum abscessus cavitate commercium alat. Itard in otorrhoea admodum copiosa insignem parotidis tumorem intra noctis spatium evanescere vidit. Initio metastasin ortam esse et parotidis tumorem conflata auris affectione evanuisse existimavit, accuratior autem exploratio docuit, auris profluvium e parotide scaturire, hac enim compressa, illud augebatur.

Inter symptomaticas otorrhoeas, quae vocantur, gravissimae sunt otorrhoeae cerebrales, quas Itard in primitivas et consecutivas distribuit.

Prout otorrhoea vel acutam vel chronicam cerebri suppurationem excepit, symptomata profluvium antecedentia variant. Priori in casu observantur: capitis dolores acerbi, pulsus durus et frequens, oculi rubri, tensio dolorifica intra orbitam, musculorum faciei contractiones convulsivae, tensio aut oedematosa intumescentia partis capitis pilosae, nonnunquam alienatio intellectus, praesertim memoriae, appetentiae, somni, virium defectus. Quodsi inter haec phaenomena surditas, aurium susurrus et profluvium oriuntur, dubitare non licet, hujus causam in abscessu cerebrali esse ponendam. Sin otorrhoea suppuratione cerebri chronica, quae chronicam encephalitidem aut meningitidem, tumorem

scirrhosum etc. excepit, producitur, modo continui modo periodici capitis dolores antecedunt, qui cum motibus convulsivis viriumque psychicarum oppressione consociantur. Otorrhoea acutam cerebri suppurationem secuta sanationis spem non praecludit, sane autem ea, quae chronicae suppurationi successit, fieri enim non potest quin mortem inferat (Itard).

Lallemand primitivam otorrhoeam cerebralem plane disputat, provocans ad Morgagni, qui eandem sententiam profitetur et observationes suas ita interpretatur, ut otorrhoeae causa in aurium inflammatione ponatur. Abercrombie opinionem Lallemandii non adoptare, sed concedere videtur, cerebri affectionem multis in casibus primariam, auris vero secundariam esse. Frequens inquit, et insidiosa suppurationis cerebralis forma, auris dolore incipit et aliquamdiu pro morbo hujus partis haberi potest. Interdum pus ex aure profluit, sed effusio dolorem non tollit, aeger in delirium et soporem incidit. Valetudinis rediturae modo species apparet, quae mox praeterit. Ad causas primitivae otorrhoeae cerebralis omnia pertinent, quae inflammationem et suppurationem cerebri ejusque meningum inducere queunt. Prognosis paene semper infausta est; primitivam otorrhoeam cerebralem, quae chronico cerebri morbo originem debet, auctore Itard semper mors sequitur.

In curatione id praecipue dispicere oportet, ut profluvium sustineatur. Ubi phaenomena, quae primitivam otorrhoeam cerebralem antecedere solent, manifest asunt,

profluvium autem nondum intravit, duce Itard membranam tympani perforare oportet, ut ea arceantur symptomata. quae diuturniore puris retentione in cavo tympani exoriuntur: praeterea capitis perfrigeria caute vitentur, nec non omnes injuriae, quae profluvii stagationem inducere possint. Si procedente effluvio omnia morbi symptomata decrescunt, sperare licet, fore ut sanatio perfecta obtineatur. Quo in casu modo id agendum est, ut datis purgantibus vel ulcere artificiali nuchae aut brachio illato, debita derivatio efficiatur. Sin otorrhoea ingravescentibus omnibus symptomatibus subito supprimitur, omni opera eo enitendum est, ut instauretur.

Otorrhoea cerebralis consecutiva ea vocatur, qua, praecedente organi auditorii morbo cerebri aut meningum ejus affectio excitatur. Itard. qui differentiam utriusque formae otorrhoearum gravissimam existimat, ingenue fatetur, circa aegrotantium lectulos non semper facile esse diremtu, utrum de otorrhoea cerebrali primitiva an consecutiva agatur. Nonnunquam cerebri affectio, quae ossis petrosi cariem sequitur, dura matre limitatur, cujus externa superficies suppurat, interna autem reliquis meningibus adhaeret; aliis in casibus membranae penitus destruuntur et suppuratio in cerebri substantiam descendit. Quae differentia consecutivae affectionis cerebri etiam magnum discrimen symptomatum consecutivam otorrhoeam cerebralem comitantium profert. Symptoma constantissimum dolor ingens capitis est, qui ad otorrhoeam jam exortam accedit. Creberrime profluvium largius foediusque fit, quam antea.

Increscente autem profluvio semper levamen, certe periodicum, oriri, ut Itard contendit, alii negant. Saepe symptomata sine mutatione persistunt, imo ingravescunt, aeger tristis, somnolentus magis minusve febricitat, delirat et comati obnoxius, febri hectica consumtus, vel subito inter convulsiones moritur.

Prognosis teterrima est, exitus lethalis quidem puris effluvio per meatum auditorium retardari, minime autem caveri potest. Valetudinis redeuntis species nonnunquam apparet, non raro autem mors per apoplexiam subito irruit.

Medici est, summa diligentia profluvium sustentare, aut, si haesitet, idoneis remediis quam celerrime restituere. Bock putat, si cerebri aut membranarum ejus affectio mediocris sit, ossis petrosi trepanationem interdum salutiferam esse.

Ad ceteros organi auditorii morbos graviores crassities et polypi membranae tympani pertinent.

CRASSITIES MEMBRANAE TYMPANI.

Membrana tympani crassescere et indurescere, imo cartilagineam vel osseam indolem recipere potest. Quae mutationes his signis cognoscuntur: 1) surditate magis minusve insigni; 2) exigua membranae sensibilitate, si specillo tangitur; 3) defectu elasticitatis et, si ossificata est membrana, sono, quem admoto specillo edit. Frequentissima incrassationis tympani causa cernitur in praegressa inflammatione, interdum tamen solo spirituosorum abusu, aut senectute exoriri dicitur. Sauvages

adnotat, si crassities membranae tympani e dyscrasia syphilitica proficiscatur, meatum auditorium squamis obtegi, quae facile detrudantur. Si morbus minus processit, tympanum aliqua sensibilitate gaudet et auditus nondum interiit, Saissy, Frank, Beck, alii sanationem eo effici dicunt, quod morbus, qui subest, impugnetur, injectiones in aurem instituantur et vesicatorium aut fonticulus ad brachium lateris affecti applicetur. Kramer omnia haec medendi conamina supervacua existimat, imo noxia, nunquam contingere arbitrans, etiamsi crassities tympani simplicissima sit, macularum albarum formam offerens, ut normalis membranae indoles reparetur. Quodsi tympanum crassitiei gradum certum obtinuit, imo adeo ossificatum est, ad corrigendum auditum nihil superest, quam ut membrana perforetur. Quae operatio teste Kramer tunc tantum administrari potest, si vel ambae aures eodem modo simulque magno gradu aegrotant surditate, vel si altera auris, cujus tympanum haud laborat, tanto baryoeciae insanabilis gradu affecta est, ut perforatio unicum sit auxilium, ad aegroti statum sublevandum. Ante operationem perfecte nobis persuasum habeamus oportet, aurem operationi submittendam non alio laborare morbo, qui auditus affectionem insanabilem effecerit.

RUPTURA MEMBRANAE TYMPANI.

Quae ruptura et oculari inspectione et his signis facillime cognoscitur: 1) specillum in meatum auditorium inductum solito penitius intrat; 2) ore naribusque clau-

sis, aër ex meatu auditorio prorui; 3) fluida in meatum auditorium injecta per fauces aut nares effluunt; 4) materiae per tubam Eustachii injectae per meatum auditor. externum redduntur, si hic normalis est. Multi existimant, tympani perforationem haud necessario auditus debilitatem secum ferre. Itard plures apposuit casus, in quibus auditus integer exstitit; exempla vero non desunt, quae contrarium obtulerunt. In genere statuitur, simplicem perforationem sine auditus mutatione existere posse, iis autem in casibus, quibus major membranae pars destructa sit et destructio etiam ad ossicula auditoria pertineat, majorem minoremve surditatis gradum inferre. Kramer contendit, quamque tympani perforationem non exquisitam quidem surditatem, sed majorem minoremve baryoeciae gradum inferre, pro destructio vel majorem vel minorem habeat ambitum. De causis perforationis tympani auctores dissentiunt. Alii cochleari auriculari in meatum auditorium altius demisso, vehementiore sonorum foris irruentium impetu, aëris per tubam Eustachii introitu, violentis cranii vibrationibus etc. membranam pertundi judicant. Kramer vero adnotat, tympanum, per totum ambitum annulo osseo infixum, tam obliqua directione quam meatus auditorii cursu speciali a violentiore impetu vibrationis sonorum defendi, denique vero longo mallei manubrio adeo tutum praestari, ut neque sternutatio, narium emunctio etc. nec injectiones quaecunque situm ejus mutare queant. Teste Itard atrophia sine ulceratione perforationem tympani efficere potest. Praedispositio

singularis manco nutritionis processu, qualis apud senes locum habet, efficitur. Kramer autem, membranae tympani perforationem sine praegressa inflammatione haud occurrere, perhibet.

Prognosis metienda est e causis, quae rupturam induxerunt. Perforatio simplex, corporis alieni introitu penitiore effecta plerumque, si ossicula auditoria dislocata non sunt, promte sanatur, quanquam majorem habeat ambitum. Imo in casibus, quibus ruptura otitidi internae in suppurationem conversae successit, foramen mox potest claudi, si destructio mediocris et ossiculorum auditoriorum situs normalis est. Sin major tympani pars deleta et ossicula illa dislocata sunt, malum insanabile esse solet. Ars hunc morbum tollere non valet. Si membrana simpliciter affecta est, natura efficit omnia ad sanationem necessaria, sin substantiae defectus exstat, malum immedicabile existimetur oportet. Gossypio aut linteo carpto aegrotus aurem a tempestate iniqua et aëre pulverulento tueatur. Autenrieth putat, gossypio in aurem immisso cavum tympani quidem a frigore defendi, sonum vero eo difficilius percipi, quare tempestate humido-frigida membranam tympani artificialem in meatu auditorio collocari jubet. Paratur e cannula brevi tenui plumbea, elliptice compressa, cujus interiori extremitati vesicula natatoria humida piscis parvi praetenditur et post siccationem vernice obducitur.

POLYPI MEMBRANAE TYMPANI.

Quemadmodum in parietibus meatus auditorii, ita in superficie tympani externa polypi succrescere possunt, qui in genere acutam aut chronicam hujus membranae inflammationem sequuntur. Auctore Saissy surditas febres nervosas longas excipiens nonnunquam ab his polypis pendet. Symptomata iis simillima sunt, quae meatus auditorii polypis efficiuntur.

Prognosis sat infausta est, curatio radicalis rarissime, fortasse nunquam, contingit, quia radix parasiti destrui nequit, itaque hic iterum iterumque regeneratur.

Polypus tympani non potest evelli, ligaturae applicatio penitiore ejus sede praegravatur, nec periculo caret, quia ligaturae constrictione tympanum facile rumpitur. Polypus brevem habens petiolum commodissime rescinditur et residuum argento nitrico caute aduritur, quamdiu tympani propinquitas et dolores ingentes hoc patiuntur. Kramer solutionis plumbi acetici instillationes quandoque salubriore invenit cauterisatione; polypum enim adhibito plumbo corrugari tutiusque exstirpari comperit, quam operatione quadam chirurgica.

Ubi excrescentiae tympani parvae lenticulares apparent, primum argenti nitrici applicatio caute tentetur eaque irrita ad plumbi solutionem confugiatur. Excrescentiae latae, cartilagineae, albidae, insensibiles sanari nequeunt, imo adhibitis cauteriis ambitu crescunt. Etiamsi polypus ad extremam radicem exstinguitur et tympani affectio cavetur, minime perfecta auditus instauratio,

saepe ne refectio quidem, certo exspectanda est, quia polypi luxuriatio tam graviter tympani structuram alienat, ut ejus facultas, sonorum vibrationes ad internam aurem deducendi, magis minusve intereat.

BARYOECIA NERVOSA (COPHOSIS).

Hoc nomine significatur auditus diminutio aut abolitio, quae affectionem nervorum sensiferorum organo auditorio dicatorum sequitur.

In hoc morbo conductio sonorum ad sensiferas auris partes locum quidem habet, ad harum receptivitas alienata est. Characteristicum baryoeciae nervosae criterium auctore Saunders est symptomatum mutabilitas, omnibus nervorum morbis propria; audiendi facultas differt, prout momenta agunt, quae sensibilitatem in genere vel augent, vel diminuunt. Inspectione oculari meatus auditorius ceruminis expers reperitur, imo si quid ejus exstat et removetur, aeger nihilo facilius audit. Diagnosis hoc modo certa redditur: aëris rivum auctore Kramer susurrantem in cavum et membranam tympani penetrare sinimus, ubi expanditur et ex aure aegroti in aurem observantis appositam transire videtur. Positivum cophosis signum in eo est, quod aeger immediate post illud experimentum adauctam surditatem et aurium sonitum sentit; praeterea caput fit temulentum et auris obstruitur.

Si alienatio partium sensibilium organi auditorii diutius persistit, nutritio partium hoc organon constituentium mutatur; secretiones tam externarum quam

internarum partium corrumpuntur; nominatim ceruminis secretio mirifice decrescere solet. Meatus auditorius cum pruritu arescit, desquamatur et modo tactus impatientissimus, modo omnino patiens redditur, ita ut corium auris concham tangere aegroto videatur. Sensibilitatis defectus haud raro ad cartilaginem, imo ad genam usque propagatur. Kramer tympanum fere semper chartae more album atque in pellucidum invenit.

Dividitur cophosis secundum gradum, causas, characterem. Quod ad gradum, vel perfecta est, vel imperfecta; illa sublatam, haec debilitatam audiendi facultatem offert.

Causarum respectu baryoecia nervosa vel idiopathica est, vel symptomatica, vel consensualis. Plures systematis nervorum morbi, qui remotiora organa afficiunt, nervorum cerebralium functiones ita offendere possunt, ut surditas oriatur, quae critica et metastatica apparet vel inter vel post typhum, morbillos, scarlatinam, arthritidem; effici etiam potest temeraria curatione herpetis, scabiei, capitis exanthematum. Cophosis traumatica exoritur conquassatione cranii, cujus vibrationes ad apparatum sensiferum organi auditus propagantur, vitam ejus minuunt vel exstinguunt, imo nervorum rupturas efficiunt. Haec surditas vel cum alienata vel integra cerebri actione locum habet. Cophosis plethorica excitatur hyperaemia vel activa vel passiva vasorum aurem adeuntium, inprimis dilatatione arteriae auditoriae internae ejusque ramorum. Nonnunquam surditas a cerebro proficiscitur, quae cophosis cerebralis

phaenomenis se manifestat, quae functionum cerebralium turbationes testantur, cujusmodi sunt cephalalgia pertinax, vertigo, proclivitas ad apoplexiam, memoriae imbecillitas. Secundum characterem baryoecia nervosa in erethisticam et torpidam distribuitur.

Quae ad prognosin et curationem pertineant, ex parte jam colligi possunt e superioribus, ex parte autem a variis medicis peritis tanta cum dissensione disputantur, ut tironem hac de re certum judicium ferre non deceat.

VITA.

Natus sum ego Juda Itzig a. h. s. undevicesimo die XIX mensis Octobris Dyhrenfurthi, patre Isaac, quem dilectissimum anno XXXIV mors praematura mihi eripuit, matre Beata e gente Deutschmann, quam sors benigna adhuc mihi servavit servetque in posterum quotidie precor. Fidei veteri addictus usque ad octavum decimum annum litteris hebracis operam dedi. Tum elementa graecae et latinae linguae addidici, atque Gymnasium Franco-Gallicum, quod tum auspiciis directoris Ill. Fournier floruit, frequentavi. Quum jam in ea aetate essem qua officio militari cuique satisfaciendum est, Brandenburgi per duos annos stipendia merui. Paulo post polypo auris laborans paene per annum in lecticulo recumbere coactus sum. Praecipue lugeo, membranam tympani extractione polypi esse laesam, quo impedior, quominus susurrus pectoris atque cordis acute discernere possim. Deinde quum essem restitutus, Gymnasium Coloniense petii, atque inter discipulos primi ordinis sum receptus. Autumno anni h. s. quadragesimi sexti testimonio maturitatis instructus

civibus academicis in alma Friderica Guilelma ab Ill. Boeckh t. t. rectore magnifico adscriptus, apud Ill. Mueller t. t. ordinis medici decanum spectabilem nomen professus sum.

Scholis interfui hisce: Beat. Hecker de encyclopaedia; Ill. Schultz de botanice; Ill. Michelet de logice; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Magnus de physice; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Mueller de anatomia comparata, pathologica, atque humana, de physiologia; Ill. Schlemm de splanchnologia, de osteologia, de syndesmologia; Ill. Rose de chemia organica; Ill. Mitscherlich de materia medica; Exp. Simon de pathologia generali et de morbis cutaneis; Exp. Traube de auscultatione et percussione; Exp. Ebert de morbis infantium; Ill. Romberg de therapia speciali; Ill. Casper de medicina forensi; Exp. Schoeller de arte obstetricia; Ill. Langenbeck de chirurgia.

Praeterea artem cadaverum rite secandorum Ill. Mueller et Ill. Schlemm; exercitationes in cadaveribus Ill. Langenbeck me docuerunt.

Exercitationibus clinicis, medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, syphiliticis, paediatricis, virorum Ill. Juengken, Romberg, Langenbeck, Wolff, Schoenlein, Busch, Simon, Ebert interfui.

Quibus omnibus viris summopere de me meritis gratias ago quam maximas semperque habebo.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Me-

dicorum ordine superatis, spero, fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Perforatio membranae tympani semper auditum debilitat.
2. Digitalis purpurea in pneumonia optimum antiphlogisticum est.
3. Hydrops est symptoma morbi, non morbi species.
4. Medici solius est, de imputatione judicare.